Diſſertatio MEDICA Inauguralis,

De *FEBRE BILIOSA*,

Indiae Occidentalis incolas infeſtante:

QUAM,

Annuente Summo Numine,

Ex auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI WISHART, S. T. D.

Academiae EDINBURGENAE *Praefecti;*

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *conſenſu, et Nobiliſſimae* FACULTATIS MEDICAE *Decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA honoribus et privilegiis rite et legitime conſequendis,

Eruditorum examini ſubjicit,

JOANNES WILSON, *Scoto-Britannus*,

Ad diem 30. Maii, hora locoque ſolitis.

Ξυγκαταινεω μεν ων και τον λογισμον, ην περ εκ περιπτωσιος ποιηται την αρχην, και την καταφορην εκ των φαινομενων μεθοδευη. Hippocratis Parangeliae.

Poſt ignem aetheria domo
Subductum, macies et nova febrium
Terris incubuit cohors:
Semotique prius tarda neceſſitas
Leti corripuit gradum. HOR.

EDINBURGI:

Apud W. SANDS, A. MURRAY, et J. COCHRAN. 1750.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30783021

VIRO PRAENOBILI,

JOANNI

COMITI de *Hyndfoord*,

VICECOMITI de *Nemphlar*,

BARONI de *Carmichael*,

&c. &c. &c.

Apud Boruſſios olim, apud Ruſſios nuper Legato Britannico extra ordinem;

Regi a Secretioribus Conſiliis;

Virtute, honore, dignitate, gloria, atque opibus, praeclaro;

NEC NON,

NEC NON,

JOANNI WILSON,

In urbe *EDINENSI* MERCATORI,

Ac ejuſdem civitatis nuper PRAETORI,

PATRUO ſuo Honorando:

Ob multa et egregia in ſe beneficia collata,

Grati animi ergo,

Tentamen hoc Medicum qualecunque,

D. D. C. Q.

JOANNES WILSON.

Dissertatio Medica,

De Febre Bilioſa.

OMNIUM morborum quibus vita humana affligitur, febris prae caeteris longe atrocior. Huic igitur ut tempeſtive medeamur, ſumma ope niti decet: nam ſaepe ſubito, virum fortem, ac juventute vigentem, e medio tollit. Inter febres autem, eminet illa quae Biliosa nuncupatur. Crudelis eſt haec, atque immanis, incolas Indiae Occidentalis infeſtans febris. Circa medium autumnum fere ſemper graſſari incipit, et praeterita media hyeme deſinit. Hi fines contrahuntur aut elongantur, pro varia temporis facie. Morbus etiam ipſe, eadem ratione, ſaevior aut mitior eſt. Aliquando alio etiam anni tempore, unus aut alter febre hac affligitur. Vidi, per plures annos, febrim hanc; atque ejus hiſtoriam, prout quotidie accidit, ſcripſi: mutationes quoque aeris, coeli, tempeſtatis, ſenſibus obvias notavi. Dolebam vero inſtrumentorum indigentiam, quibus omnia haec ſtrictim metiri potuerim. Hiſtoriam hanc ſine ulla hypotheſeos admiſtura

A ſcripſi,

ſcripſi, prout quaeque cuique acciderunt, ea tempore illo ipſo notans. Ac mihi quidem dignus videtur morbus, qui tractetur. Abſit vero tanta vecordia, quae me huic operi parem judicaret. Sed quia mos eſt, ſummum in medicina honorem ambientibus, ſpecimen ſuae artis dare, haud abs re judicavi, diſſertatiunculam de febre hac, maxima, quae debetur, reverentia, Profeſſorum ac Medicorum examini ſubjicere. Idcirco hiſtoriam morbi, prout quatuor annis accidit, praemittam; ut, collatis inter ſe diverſis ejus faciebus, rectius deſcribatur et intelligatur morbus. Addam etiam unicuique anno hiſtoriam aeris et coeli naturalem, quatenus ego ſine inſtrumentis eam obſervare potui. Tum ſymptomatum aeque ac morbi cauſam inveſtigare conabor. Poſtea diagnoſin atque prognoſin paucis abſolvam. Denique, curationem, ac prophylaxin requiſitam, prout mihi videtur, deſcribam.

In anno 1745, apud inſulam Rattan in plaga Boreali 16° 20′ graſſabatur febris, quam, ob quantitatem bilis, ſurſum deorſumque ejectam, Biliosam notare lubet. Hujus primaria ſymptomata erant: Dolor hypochondriorum obtuſus, quaſi à pondere ſuperincumbente productus; gravitatis ſenſus in iſtis partibus; dolor capitis atque vertigo; bilis vomitus frequens; quibuſdam etiam frequentes biliofae dejectiones; abhorrentia cibi; ſitis aliquando nulla, aliquando magna; lingua plerumque flava, viſcida materie oblinita; pertinax pervigilium; delirium: urina admodum varia in variis hominibus; quibuſdam

fere

fere naturalis, aliis rubra, aliis flammea, aliis aquoſa pellucida, pleriſque turbida, ſine ſedimento, ac jumenti urinae ſimilis; alvus, non, niſi quibus dejectiones bilioſae, reddita; pulſus initio febris non multum a naturali recedens, aucta vero febre velox, durus, magnus; tota cutis plerumque arida atque dura; remiſſio altero quoque die, pulſus tum mollior, quietior, at inaequabilis. In ſtatu febris, delirium ferox; pulſus omnimodo inconſtans, ſaepe intermittens; color oculorum atque cutis flavus, aliis alio tempore accidens. Antecedere hunc morbum ſolebat, appetitus per aliquot dies proſtratus, magis magiſque nauſeae accedens; tum ſenſus gravitatis per totam regionem hypochondriacam, quem afflicti ipſi peſſulo plumbeo aſſimilabant, indies dolorem creans. Hoc tempore alvus dura, tarda, et ſaepius per totum hunc ſtatum non reddita. Decurſus morbi talis fuit: Altero quoque die remiſſio omnium ſymptomatum, excepto ſexto, quo graviora fiunt omnia; et morbus plerumque ſeptimo judicatur. Fatalis erat hic dies ante illum colore flavo imbutis. Atque etiam quo citius hoc colore induebantur, eo morbus acutior, velocior, ſaeviora ſymptomata, atque citius moriebantur: nam in febris ſtatu ſolummodo occurrebat. Multi fere inopinati die tertio aut quarto trucidati; morbus enim initio mitis illos fallebat, et idcirco auxilia neglexere. Poſt ſeptimum diem febris remiſſio altero quoque die tam plena fuit, ut intermiſſionem deceptus judicaret: ſed fatalis hic exitus; nam quarto decimo fere ſemper mors aderat.

Alter

Alter exitus, quando coma pertinax pervigilio pertinaci ſucceſſit, ſemper ſalutaris. Criſin per evacuationem ſenſibus obviam, non niſi uno exemplo vidi. Habuit ille poſt utramque aurem tumorem magnum totam parotidem occupantem, atque etiam ante aurem ſe ſupra os jugale extendentem, qui ſuppuratus magnam boni puris copiam evacuavit. Succeſſere huic febri debilitas longa pertinax; tum aut febris vere intermittens, aut pertinax diarrhaea bilioſa; qui duo morbi multos occidebant: quibuſdam etiam tumor pedum atque crurum leucophlegmaticus, aliique debilitatis effectus, accidere.

Calor aeris hac in regione fere immenſus eſt per totum annum; coelum per menſes novem fere ſemper ſerenum. Ventus vulgo marinus vocatus, hoc tempore interdiu, a plaga aliqua inter Euro-borealem et Euro-auſtralem, conſtanter flat; nocte vero ſpirat tantum ab Occidente-boreali, ſubfrigidus. Toto hoc tempore nunquam pluit. At ſub finem menſis Auguſti, venti fuere variabiles, inconſtantes; coelum pluvioſum, nubiloſum, et horrenda quaſi facie atrum. Calor aeris tamen remanſit. Notatu dignum eſt, quod nullo modo, neque ſale neque aceto, carnem recentem a putrefactione vel per unum diem immunem ſervari poſſe, experientia tum compertum erat.

Anno 1746 morboſa anni tempeſtas citius ſolito incipiebat; at nequaquam tam ſaeve graſſabatur. Ineunte Septembri, febris, quem certo certius circa hoc anni tempus, hac in mundi parte, expectamus, bilioſa hiſce primariis ſymptomatibus apparuit.

ruit. Incipiebat primo inappetentia, vertigine, in quibuſdam etiam ſcotomia; tum horripilatio, frigus, bilis vomitus ſuccedebat. Pulſus eo tempore fuit parvus, velox. Poſtea calor, anxietas, ſpaſmi hujus illiuſve partis corporis, ſubindeque deliria, invaſere. Pulſus tum magnus, durus, velox. Haec omnia ſuperveniente ſomno remittebantur. Remiſſionis tempore, nauſea tantum, cum vertigine, aut ſcotomia, remanebant. Pulſus tum moderatior, at inaequabilis. Tertio die aucta ſunt omnia ſymptomata; hocque modo alterno quoque die remiſſio accidebat. Judicatus eſt morbus vel ſeptimo, nono, decimo, undecimo, aut quarto decimo. Color ictericus paucis accidit; cui vero accidebat, ei ſalutaris: neque unquam ante diem ſeptimum, dempto uno, qui quinto mortuus eſt, accidebat. Fatalis pleriſque dies tredecimus, aut quartus decimus; quem diem nunquam excedebat febris. Neque ulla febris intermittens aut diarrhaea, ut in anno ſuperiore, morbo huic ſucceſſit: at debilitas ingens, una cum vertigine, aut etiam ſcotomia, per longum tempus remanſere. Aliquibus puſtulae denſae, ſubflavae, per totām faciem atque cervicem, criſin morbi dedere. Procedente anno, ſymptomata acerbata ſunt, atque alia quoque addita; nempe, dolor lumborum atque omnium oſſium: tam atrox fuit vomitus, ut nulla arte coerceri poſſet; vigilia fuit pertinax, remiſſio minor; ſomnus, ſi ullus, animum vanis inſomniis turbavit; ſitis primo moderata, dein aucta, ac pari paſſu febrim ſequens, ſed longo ante criſin tempore plane abolita

fuit; alvus aliis dura, aliis ſoluta biliosa; cutis fere urens, arida; in ore ſapor fuit moleſtus, atque materia viſcida, limoſa; urina pleriſque fuit ruberrima, jumentoſa, aliis non multum a naturali recedens; quibus pertinacius pervigilium, iis morbi exitus fuit per coma agrypnodem, qui ſemper fatalis.

Totum fere hunc annum navigando contrivimus inter duas Boreales plagas 18° 00′ et 8° 55′; adeoque et aerem et coelum continuo diverſum habuimus. Calor nequaquam navigantes tantopere infeſtat, quantum in terra degentes. Tempus pluvioſum fiebat, paulo citius quam priore anno. Fuimus tum apud Chagri Hiſpanorum urbem. Ab ea ad Portobello ventum; ubi calor fuerat maximus, aliquando intolerabilis; pluvia interdiu quam maxima. Inde per littus ad Carthaginem Novam navigavimus. Durante toto hoc tempore coelum plerumque nubiloſum, pluvioſum; calor interdiu magnus; nocte vero ſubfrigidus fuit aer, atque roris copiam magnam depoſuit.

Anno 1747 decurſus morbi hujus talis erat: Graſſari incepit primo leniter: nam qui primo correpti fuere, ſe intermittente affligi putabant; at ſubindicabat bilis vomitus, ſpaſmi per aliquas corporis partes, atque vertigo, febrem eſſe bilioſam. Prima, aut etiam ſecunda remiſſio pene intermiſſio fuit, parvo dolore hypochondriorum, et vertigine parva tantum remanente; pulſus etiam pauliſper tantum a naturali recedebat: at die ſeptimo flavo colore omnes imbuti. Exitus morbi fuit varius: Aliqui criſin per dejectiones bilioſas, alii per ſudorem habuerunt;

runt; quibuſdam ſomno pleniſſimo levatis, nulla evidens evacuatio fuit. Procedente autem anni tempore ſaevius graſſabatur morbus. Remiſſio minor fuit; vertigo, pervigilium, dolor praecordiorum, atque bilis vomitus, atrociores fuere. Pleriſque memoria, atque omnes ſenſus, tam interni quam externi, admodum laedebantur; at alius fuit ſenſus aliis hominibus laeſus. Quidam vix oculis videbant, alii parum audiebant: alii mare campum viridem jucundum judicabant, et in eo ambulare percupiebant; quidam ne mare in ſe irrueret, metuebant: alii praeteriti nihil recordabantur. Multi ſpaſmis, alii manuum, alii crurum, afflicti ſunt. Atrocius delirium etiam ſupervenit. Unus ſemper dentibus mordere quod proximum ei fuit, tentavit. Poculum aqua plenum labris admotum, avide mordebat quidem; at nequaquam intra labia aquam intrare ſinebat. Itaque morbus omnimodo acutior fuit. Multi ſecunda acceſſione mortui ſunt, corpore toto flavo colore imbuto. Alvus ſaepe, at parca, reddita fuit; urina, ut ante, varia; pulſus inaequalis, durus plerumque. Qui poſt diem ſeptimum vixerunt, iis morbi exitus per coma, ſeu profundiſſimum ſomnum, aut coma agrypnoden. Prior exitus ſalutaris, poſterior mortiferus fuit. Vidi ego quoſdam, qui decimo die ſigna fere omnia quae vulgo mortalia vocantur, dedere; attamen ii, undecimo, profundo ſomno correpti, ad quartum decimum uſque dormiebant diem; et tunc experrecti, locuti ſunt, ſignaque redeuntis ſalutis dedere, atque indies convaluerunt. Omnes tamen

men

men debilitate magna, per longum tempus, afflicti fuerunt, qui hoc morbo ſuperſtites evaſere. Quidam, poſt recuperatam ſalutem, auditum habuerunt hebetiorem; unus oculum ſiniſtrum habuit ad corneam albugine ſuffuſum.

Per hunc annum apud Port-Royal in inſula Jamaica plerumque fuimus. Aer atque coelum fere idem ac anno 1745, antea deſcriptum, fuit. Sed notatu dignum eſt, eos, qui, ad aquam pro navis uſu hauriendam, miſſi ſunt ad caſtrum rupis vulgo *Rock Fort*, fere omnes hac febre eſſe correptos. In eo loco per diem calor eſt maximus, at nocte aer frigidiſſimus eſt.

Anno 1748 decurſus morbi hujus talis erat: Primo tertianae intermittentis ſpeciem prae ſe ferebat. Poſt uſitatam enim inappetentiam, pondus, atque aegritudinem circa ſtomachum per aliquot dies, tum demum horripilatione, dolore capitis magno, atque vertigine, correpti ſunt: inſequitur vomitus bilioſus atrox, calor magnus, ſitis, pulſus durus, plenus, ſudor copioſus; tum remiſſio, pene intermiſſio, omnium ſymptomatum. Alvus aliis reddita, aliis non; urina plerumque rubra, turbida, ſine ſedimento. At ſecunda acceſſio fere omnibus lethalis fuit. Invaſit dolor capitis ingens, ut et vomitus bilioſus, fere perpetuus, atque delirium ferox; donec ſubito langueat pulſus, atque homo moriatur, totus flavo colore imbutus. Quibus ſymptomata mitiora, his febris pro intermittente apparuit; atque etiam ad veram tertianam intermittentem indies magis magiſque accedebat: ſed hi admodum pauci fuere: mortui nu-

mero

mero majores. Ac revera quidem febris haec pene peſtifera dicenda: aut enim ipſe occidit, aut variis morbis corpus obnoxium reddit, per quos miſeris mors, longo poſt tempore, ſupervenit.

Per totum hunc annum inter Boreales plagas 24° 00′ et 16° 00′ navigavimus: at morboſo tempore apud Port-Royal in Jamaica fuimus. Aer et coelum fuit ut antea deſcriptum. Notandum quoque, pleroſque morbo affectos apud dictum locum, rupis caſtrum, fuiſſe.

Ut facilius febris hujus ſymptomatumque cauſa inveſtigetur, quaedam nobis praemittenda ſunt.

1. In hac mundi parte praecordiorum dolorem eſſe ſemper epidemicum. Docet hoc obſervatio certa. Nam quolibet anni tempore inter alios morbos fere ſemper adeſt. Neque unquam deeſt unus aut alter de dolore hoc, atque praecordiorum quaſi gravitate, conquerens: attamen ſanus apparet, neque munera vitae obeundo prohibetur. Saepe huic bilioſa diarrhaea, faecibus fere urentibus, ſuccedit; aliquando imaginatio depravata. Quibus omnibus non abs re materiam hic colligi judicaret medicus, quam Hippocrates *atram bilem* nominaret. Certe utrorumque iidem effectus; attamen eam explicare, aut effectus inde vera ratione deducere, haud ſcio an rite poſſum.

2. In tanto calore vaſorum hypochondriacorum obſtructiones facile fieri. Suadet hoc, et illorum ſitus conditioque, et caloris actio, et humorum in illis motus: nam vaſa illa fere

ſemper plano horizontali parallela ſunt; tenuis eorum eſt ſtructura; atque motus humorum in iis tardior eſt, caeteris fere omnibus in corpore humoribus. Calor vero liquidiſſimam partem exhalat, adeoque humores craſſiores atque tardiores reddit. Sed et obſervatione confirmatur, obſtructiones hic revera fieri. Quam enim aliam cauſam doloris gravitatiſque fingemus? Certe, ſi obſtructio nulla ſit, attamen motus fere nullus adeſt, qui obſtructioni quam proximus eſt, atque ſimiles effectus producet.

3. CALOREM bili producendae conferre. Hujus veritatem firmat experientia. Bilis enim aeſtate magis producitur quam hyeme, in homine calido, cui circulatio ſanguinis fortis velox, quam in frigido phlegmaticoque homine, cui humores tardius moventur. Ratio etiam, atque experimenta cum bile facta, ejuſdem veritatem corroborant. Eſt enim bilis ſuccus ſaponaceus, oleo, ſale acri, et ſpiritibus paucis pauca aqua dilutis, conſtans. Apparet ergo, ſi aquoſa pars ſanguinis calore exhauriatur, reſiduam, oleo aduſto, atque ſalibus acribus, ſuccum hunc ſaponaceum conficere, aptiorem reddi.

4. MIRUM eſſe inter caput et praecordia commercium. Hoc docent experimenta quam certiſſima. Dum in capite vulneratur homo, ſic ut intropulſum cranium cerebrum premat, ſtatim bilem evomit. Et notum omnibus eſt, quod ſpleneticis hypochondriaciſque mire afficitur caput, vigilia, vertigine, atque imaginationibus vanis. Attamen horum ratio, ex cognita fabrica humana, hactenus perſpicue ac evidenter explicari nequit.

Sufficiat

Sufficiat ergo hanc propoſitionem, ut veram, atque experientia ſtabilitam, aſſumere, rejecta omni vana cauſae ejus conjectura.

5. Aerem humidum calidumque, quamquam haud penitus putridos humores intra vaſa circulantes reddat, tamen ad ſtatum putreſcentem eos propius propiuſque accedere procul dubio facere. Hoc igitur modo acrimonia ſui generis oriri poteſt. Et quia bilis, omnium qui in humano ſunt corpore humorum, citiſſime putreſcit, eam acrimonia hac facile contaminari neceſſe eſt. Sed et hoc modo obſtrui poteſt Sanctoriana perſpiratio. Quibus de cauſis febrim oriri neceſſe eſt.

6. In ſanitate, ob aequilibrium, lege hydroſtatica, fluidorum, bilis copiam, poſt ſecretionem, nunquam in venas ſanguinem reducentes reſorberi poſſe, quamquam non ſemper in inteſtina fluere, docet exitus ductus choledochi, et conſtans alterna inteſtinorum contractio & laxatio; quippe cui reſiſtit fluidi quantitas in venas reſorpti. Praeterea, motus tardus in vena portarum non plus bilis ſecernit, quam quod in inteſtina fluere facile poteſt. Quandoque quidem in veſicam fellis regurgitat, contractis nimirum inteſtinis; at nunquam in venas, dum ponitur aequilibrium. Aufer hoc, ſive aucta reſiſtentia in ductu communi, ſive diminuta quantitate ſanguinis in venis redeuntibus, ſtatim ut icterus ſequatur neceſſe eſt.

Facile eſt ex praedictis cauſam morbi ſymptomatumque omnium eruere. Calor, exhauriendo aquoſa volatiliora, ſalina oleoſaque fixa accumulat. Tenacior inde redditur ſanguis in

vaſis,

vaſis, praeſertim hypochondriacis: retardatur etiam ibi motus ejus; forſan in quibuſdam vaſis ſiſtitur; ad bilem producendam aptior redditur; adeoque facilius putreſcet. Hinc gravitas atque dolor praecordiorum obtuſus. Eadem de cauſa liquoris minus in ventriculo ſecernitur, atque inde proſtratus appetitus: profternitur etiam materia nauſeoſa, putreſcente in ventriculo ſecreta. Hoc modo toto anni tempore praediſponitur corpus, atque huic morbo obnoxium redditur. Aucta demum, per febris ſtimulum, velocitate, phlogoſi forſan parva afficitur cerebrum. Nam et ſine febri, praecordiis affectis, afficitur et caput, ut per quartam propoſitionem praemiſſam oſtendimus: febre vero orta, erunt ſymptomata haec exacerbata; inde vertigo, pervigilium, bilis vomitus, qui etiam nauſeoſa materie in ventriculo haerente incitatur, atque bilis ipſius quantitate acceleratur. Hinc etiam delirium, convulſiones atque ſpaſmi, laeſiones ſenſuum, tam internorum quam externorum, rite deducuntur. At vero diminuto ſtimulo febris, remittuntur haecce omnia; et illo de novo aucto, augentur omnia ſymptomata.

Non eſt hujus diſſertatiunculae, de febri in genere, aut de remittente in ſpecie, plenam ac perfectam dare rationem. Sufficeret pro vero ponere, ſtimulum poſſe febris remitti altero quoque die, atque denuo augeri. Forſan tamen non abs re fuerit leviter eam attingere. Si aer humidus calidus, ut per quintam propoſitionem praemiſſam oſtenſum eſt, ad putreſcentem ſtatum humores facit appropinquare, ſimulque perſpirationem

tionem inſenſibilem impedit, febris aderit, duabus hiſce cauſis orta; acrimonia nempe humorum, atque capillariorum cutis oppilatione. Reſoluta, vel omnino, vel in parte, hac oppilatione, adeoque cauſa una febris ſublata, ipſa mitior fiet; attamen manente altera cauſa, manet etiam febris ea producta; ſed oſtenſum fuit corpus eſſe praediſpoſitum acrimoniam hanc producere: ergo eſt aer humidus calidus cauſa procatarctica, ſeu febris hujus occaſio. Sed die remiſſionis gradatim oppiletur cutis, donec ſtagnant humores in capillariis vaſculis; tum denuo augetur febris, atque, propter velociorem humorum circuitum, augentur et ſymptomata ab altera febris cauſa orta. Hoc modo procedit morbus, donec aut vis vitæ, aut febris cauſa, victor evadat. Sed eſt etiam altera remiſſionis cauſa, de qua poſtea.

VIGILIA, uti ſupra dictum, a praecordiis oriri poteſt; et dum acris haec bilis indomita eſt, aut extra corpus nondum fugata, permanebit hoc ſymptoma. Eſt etiam veriſimile, in acutiore morbo hoc, bilem hanc phlogoſin aliquam durae aut piae matris excitare. At miti reddita bili, aut extra corpus fugata, tum neceſſario ſupervenit ſomnus, ad ſpiritus vigilia conſumptos reparandos, qui nulla arte niſi ſomno reparabiles. Coma vero agrypnodes demonſtrat quidem horum iſtorum ſpirituum deficientiam, at etiam vim morbi eſſe vi naturae ſuperiorem; quapropter ſemper eſt lethalis.

Ex ore, lingua, atque faucibus, materiam eſſe in ſanguine

lentam, viſcidam, ſaponaceam, putridam diſcimus. Bilis autem aliquando talis invenitur. Quapropter ſanguinem hoc in caſu eſſe bili huic quam proximum, probabile eſt. Hinc cruſta viſcida ſubflava oblimatur os, fauces, lingua, gula, ventriculus, atque inteſtina; adeoque ſitis, nauſea, ſapor moleſtus, abhorrentia cibi, aegrum infeſtant. Sed et materia hac viſcida magis oppilantur cutis capillaria vaſa, et arida dura redduntur. Hinc etiam, niſi bili ſtimulata, alvus non redditur. Ab hac quoque pendet urinae jumentoſae, flammeae, aquoſae ratio: tales enim urinae arctam deſignant conjunctionem olei et ſalis in ſanguine.

Species plenae intermiſſionis poſt criſin apparens, demonſtrat vim morbi eſſe vi vitae ſuperiorem. Nam ſaepenumero fit quod morbus increſcit; at, quia non propellitur vi vitae, minus ferox apparet. Acria omnia veloci circuitu circumvecta, atroces edunt effectus; ſed ſi ſegnius movent, tum effectus mitiores ſunt. Quapropter et haec ſemper eſt lethalis.

Debilitatem ſequi ex febre omni, omnibus eſt notum. At ſubindicat hujus debilitatis pertinacia, cauſam etiam ſibi propriam, a febre hac praebere. Nutritio et vis muſcularis, magna ex parte, nervis debetur. Sed neceſſario ii morboſi fiunt ex febre hac, quae cerebrum tantopere infeſtat.

Sed difficilius eſt cauſam reddere juſtam flavi coloris oculorum atque cutis. Primo notandum eſt, vel colorem iſtum tempore criſeos, vel appropinquante criſi fatali, accidere. Nunquam

quam alio tempore accidit. Sed tum temporis, aut ſtimulus febris partim domitus eſt, adeoque vomitum non excitabit; aut languet vis vitae, adeoque bilem vomitu evacuare non poteſt. An nimia quantitate excreta bilis, lege hydroſtatica, facilius in venas reſorbitur, quam in inteſtina fluit? Pro certo habemus, bilem in inteſtina contracta non poſſe fluere. Si ergo bilis quantitate nimia excernitur, juſto minus, pro ratione legum hydroſtaticarum, implebuntur venae, poſt factam bilem ſanguinem reducentes: ergo veriſimile eſt, contractis inteſtinis, eo temporis momento, bilis portionem hiſce venis eſſe reſorptam: quippe durante vita, durat etiam inteſtinorum motus vermicularis; id eſt, alternatim contrahuntur et laxantur. Citius autem regurgitare non potuit; nam vigente vita, paroxyſmi tempore vomitu evacuatur. Perſuadet hoc vomitus actio, quae ventriculi motus inverſus eſt; adeoque duodeno communicatus, eum magis cylindricum reddit. Ergo ductus choledochi exitus, per tunicas iſtius inteſtini, ad rectam lineam magis accedit. Sed et actione vomitus, premitur totum hepar undequaque, per ventriculum, diaphragma, ac muſculos abdominales. Hiſce igitur de cauſis, bilis in duodenum exitus facilior redditur, atque etiam acceleratur. Hinc ad vomitum magis excitatur ventriculus; concutitur et evacuatur veſica fellis; evacuatur ſuperflua bilis quantitas: atque hoc modo diminuitur etiam febris ſtimulus. Succedit remiſſio. At neque in ſtatu hoc regurgitare poteſt: nam et minor eſt ve-

locitas

locitas circuitus, adeoque minore quantitate ſecreta eſt bilis; et contractis inteſtinis, in fellis veſicam vomitu evacuatam regurgitare poteſt ſuperflua bilis. Sed ſi abſit vomitum excitans ſtimulus, aut langueat vis vitae, manente interim bilis quantitate ſuperflua, ſive mitiore reddita, ſive non, contractis inteſtinis, veſicaque fellis plena exiſtente, neceſſario in venas regurgitabit. Nam et augetur in ductu communi reſiſtentia, et diminuitur ſanguinis in venis redeuntibus quantitas. Ergo, per ſextam propoſitionem praemiſſam, icterus ſequitur.

Hae mihi eſſe videntur cauſae horum ſymptomatum. Facile eſt morbi variationum rationem ex eadem cauſa reddere. Eadem enim prout major aut minor eſt, majores aut minores, pertinaces vel faciles edit effectus. Praeterea notandum, cauſam προηγουμενην majorem aut minorem eſſe, pro ratione aeris atque coeli. Hinc, ad febrem hanc excitandam, major aut minor cauſae προκαταρκτικης requiritur vis; adeoque alio etiam anni tempore quam conſueto, apparebit aliquando febris haec.

Diagnosis hujus morbi facilis eſt. Nam ſi poſt nauſeam, proſtratum appetitum, et dolorem hypochondriorum, accedit febris cum vomitu bilioſa, atque vertigine; ſi ſpaſmi adſint, atque ſenſus laeſi appareant, liquet hanc eſſe febrim bilioſam; quamquam, horripilatione atque frigore in initio, una cum ſudore copioſo in fine paroxyſmi, ſpeciem prae ſe fert verae intermittentis.

Prognosis vero ſemper dubia eſt, plerumque mala. In

initio

initio morbi ſaepe mitia ſunt ſymptomata, atque incautos fallunt. Sed quo major eſt in hypochondriis gravitas, quo atrocior et pertinacior eſt vomitus, quo major, atque ſenſus hebetiores reddens, eſt vertigo, quo pertinacior et moleſtior eſt vigilia, quo velocior et acutior eſt morbus, quo ferocius delirium, quo citius apparet color ille flavus; eo majus eſt periculi: ſi enim ſubito langueat pulſus, et oculi flavi appareant, tum homo intra ſex aut octo horas moritur. At vero quo ſomnus quietior, quo pulſus aequabilior, quo ſenſus vividiores, quo minus moleſtiae creat vomitus, atque facilius expeditur; eo meliora praedicuntur. Vidi ego quoſdam, qui die febris decimo pulſum habuerunt exilem, faciem ſqualidam, oculos lachrymoſos, jacebant muti et fere ſine ſenſu, extremitates frigefactae, faeces atque urina involuntarie excretae fuere; hi tamen, die undecimo, ſomno profundo correpti, ad quartum decimum uſque dormiebant diem, atque ſalutem recuperare coeperunt. Contra autem, ſomnolentia, cum perpetua a ſomno exſuſcitatione, ſemper lethalis fuit. Jecere quidam hoc ſymptomate afflicti per tres dies, ſine ullo ſenſus ſigno; et tunc convulſi, moriebantur. At ſupervacaneum foret pluribus prognoſi inſiſtere; praeſertim cum in hiſtoria morbi, et ratione cauſae ejus reddita, plurima ſuper hac re dicta ſunt.

Curatio hujus morbi talis fuit: Indicari videbatur emeticum: at infauſto ſemper eventu adminiſtratum fuit; nam et morbum exaſperabat, et vomitum indomabilem induxit. In

initio, ſanguinis miſſio non videbatur eſſe neceſſaria: pulſus enim non multum a naturali diſſidebat; idcirco in primis afflictis omiſi. At caput tantopere phlogoſi forſan parva afflictum, et pulſus durus plenus, miſſionem poſtea ſanguinis indicabant. Celebrata haec, nil damni unquam attulit; ſaepe profuit. Attamen anno primo, ſine ullo vel bono vel malo evidente effectu celebrata fuit; forſan minor, pro ratione acutici morbi, mittebatur quantitas. At neque auſus ſum ultra unc. xii. primo mittere; neque ſecunda acceſſione incepta, de novo miſſionem celebrare. Sequentibus annis morbus mitior fuit; adeoque uſitata quantitas miſſa, evidentiores effectus ſemper ſalutares dedit. Sed et hiſce etiam annis, aliqui quibus in principio ſanguis miſſus fuit, ad inferos iverunt.

Bilis autem correctio attentionem potiſſimum merebat. Hujus exaſperationem eſſe morbi praecipuam cauſam, perſuaſum mihi erat. Idcirco primo per *ſherbet*, liquorem factum ex ſucco de *limes* (fructu limonibus ſimili, at ſucci auſterioris), ſaccharo, et aqua, eam oppugnavi. Liquor hic ſitim levabat; at auſteritate ſua, ut et amaritie, quae in premendo ex cortice fluit, ventriculum paululum laedebat. Pro *limes* igitur ſubſtitui fructus tamarindorum, bono cum eventu: nam hoc modo leniter ducta eſt alvus, adeoque minuta bilis quantitas. Omnium optime ceſſit potus hic calide ſumptus. Sed et ad ſanguinem muniendum, contra ſtatum iſtum putreſcentem, et ad nidoroſam iſtam, lente viſcidam, in ſanguine materiam, quae in ore ſe oſtendebat, corrigendam,

rigendam, ſalina frigefacientia indicari videbantur: quapropter hauſtus nitroſus identidem adminiſtratus fuit. Sitim minuebat hic, at pleriſque aegris ingratus fuit. Collutorium quoque oris ex oxymel. et aq. hord. adminiſtratum, ad cruſtam iſtam nidoroſam viſcidam abluendam.

Ad ſymptomata mitiganda animum intendenti, primo indomabilis bilis vomitus mihi occurrebat: nam ſaepe per totum febris paroxyſmum vigebat, adeoque vel potum, vel cibum, vel medicamenta, in ventriculo manere prohibuit. Primo tentavi, julapio antiemetico, ex ſale tartari et ſucco limonum facto, huic ſymptomati mederi; ſed nullo cum effectu. Dein aquam menthae, et ſimplicem et compoſitam, ei miſcebam; at etiam ſine ullo effectu: vomitus enim vigebat per totum febris paroxyſmum; aliquando tamen opio cedebat.

Secunda mihi cura in vigilia tollenda. Permoleſtum fuit hoc ſymptoma morbo hoc afflictis. Itaque nocteque dieque, et tempore paroxyſmi, et tempore remiſſionis, ſupplicabant, imo, per Deum Immortalem precabantur, ut ſomnum ullo modo iis conciliarem. Primo, ne minores redderem vitae vires, opium adminiſtrare non auſus ſum; at precibus fatigatus, parca demum manu obtuli: dein, nullo malo effectu apparente, quantitatem auxi; felici cum eventu: inducto enim ſomno, morbus mitior evaſit, ac paroxyſmi criſeos munere fungi quandoque videbatur ſomnus. Primo anno autem, quantitas opii parva quam habuimus, citiſſime expenſa fuit; adeoque, per

magnam

magnam morbificae hujus conſtitutionis partem, omnimodo hac ope deſtituti fuimus. Atque haud ſcio, an inopiae hujus medicamenti plurimum debebatur tanta ſaevitia morbi, qui tam impune graſſabatur. In hoc anno morbus ſe oſtendebat ſimpliciter; parum enim de tramite ſuo deflectere per non-naturalia coactus eſt. In initio febris venæſectio celebrata eſt. Tum potus antedictus adminiſtratus fuit: cibus fere nullus ſumptus; quippe cibo abhorrebant. At ſi ullum exorati ſumebant, fuit tantum perpauxillum decocti avenacei. Auctis ſymptomatibus, epiſpaſtica, dorſo inter ſcapulas, femoribus atque talis, applicata fuere. Ea humorem flavum, copioſum evacuabant, atque ſymptomata aliquantulum levabant; attamen febri perdomandae imparia fuere. Revera hoc anno fuit febris haec maligna, indomabilis. Ex ſeptuaginta ea afflictis, quindecim tantum ſuperſtites evaſere: atque hi fere omnes, poſt vitam miſeram, multis malis obnoxiam, per tres aut quatuor menſes tractam, moriebantur. Adeo ſaevus fuit hicce morbus, infauſtus, ac fere peſtiferus.

Secundo anno, quamprimum morbus invaſerat, venaeſectio celebrata. Metuebam vero doſin emeticam dare, infelici prioris anni eventu doctus: at potum aquae calidae, mellitae copioſum adminiſtravi, et ad vomitum febri ipſi excitatum facilius expediendum, et ad bilem diluendam, ſaburram ventriculi eluendam, atque diapnoen ſudoremque excitandam; et quidem bono cum effectu. Sub finem paroxyſmi, hauſtum anodynum

dynum ſpiritus lavendulae aliquibus guttulis, odore gratum, dedi; ubi morbus ferocior, ſomnus inquietus vanis inſomniis animum turbans, ſecutus eſt, attamen aliquantulum levans: ubi morbus mitior, ſomnum placidum inducebat hauſtus ille, qui criſeos paroxyſmi iſtius munere fungi videbatur. Methodum hanc quaſi digito monſtravit natura, ſibi ipſi relicta: mitis enim primus inſultus, fecit aliquos auxilia neceſſaria negligere; cujus paroxyſmi exitus per ſomnum placidum fuit.

Durante remiſſione, aliquibus corticem Peruvianum adminiſtrabam; ſed parca tantum manu; quippe liberum obſtructionibus hepar eſſe, necne, dubitabam. Perſuaſus ab aliis ſua fide felices eventus pollicentibus, periculum hoc feci; ſed, dicam? nullo bono effectu: magis horrebant incipiente ſecundo paroxyſmo. Cutis fuit aridior; et vereor, ne aucta fuerint pro ſolito omnia ſymptomata: ſed in hoc ſtatu frictiones cum pannis laneis aqua calida madidis, praeſertim per regionem hypochondriacam, ut et pediluvia calida, proficere videbantur.

Diaeta in ſtatu remiſſionis fuit decoctum avenaceum, aut ſemen oryzae, vulgo *rice* vocatum, cum paſſulis coctum: potus vero fuit antedictus, fructus ſciz. tamarindorum in aqua ſolutus; at, tamarindis expenſis, elixir vitrioli pro iis ſubſtitui. Potus hic nullo modo afflictis gratus. Igitur aqua cum pauxillo panis toſti, pro potu, frequenter utebantur. Oxymel aqua dilutum potus idoneus videbatur; at hujus inopia prohibuit adminiſtrationem. Quibus alvus dura, enema commune datum eſt; ſaepe ſine, aliquando cum effectu.

Epispastica applicata fuere, bono ſemper cum aliquo effectu. Plerumque humor copioſus, ſubflavus e veſiculis per aliquot dies diſtillabat; febris fiebat mitior, pulſus aequabilior, mollior; mollior etiam fiebat cutis: attamen ubi febris malignior, effectus tantum debiles ab iis producti ſunt. Et licet epiſpaſticorum applicatio reiterata fuit, morbus de vita triumphavit, atque conatus iſtos omnes, ut vanos irritoſque, deriſit.

Languente pulſu, atque omina mala portendente, ſaepe bolum parvum ex camphor. et caſtor. adminiſtravi; at ſine ullo evidente effectu. An adminiſtratus bolus hicce, adhuc valida exiſtente vita, effectus bonos produxerit?

Sequentibus annis methodus therapeutica ferme eadem fuit. Ubi autem magis verae intermittenti febri appropinquabat morbus, cortex Peruvianus methodo uſitata adminiſtratus fuit; fere nullo cum effectu quum per ſe; at utiliter admodum quando theriaca in electuarium miſtus. Revera opii uſus, in omnibus fere febribus intermittentibus, hac in parte mundi, occurrentibus, optime ſemper ſucceſſit: nam ſudorem copioſum promovet, dum ſymptomata interim quoque mitigat.

Superstites huic febri debiles admodum eſſe, ſupra dixi. Debilitati huic varia ratione mederi conatus ſum. Primo, cibo analeptico eos reficere tentavi; at notandum, inappetentiam remanere. Hanc oppugnavi evacuantibus ſurſum deorſum; at nullo cum effectu. Tum elixir vitrioli tentatum; ſed pleriſque perquam ingratum fuit. Quapropter deprecatus, omiſi.

Tentavi

Tentavi quoque elixir proprietatis cum acido factum. Melius ſucceſſit hoc. Tentata elixir ſtomachicum, atque pleraque alia vulgo *ſtomachica* dicta. Sed ut febris, ita debilitas ex ea orta, pertinaciſſima fuit. At obſervatu dignum eſt, eos tantum, qui ſive mea, ſive ipſorum negligentia, catharticis uti primis poſt febrim diebus omiſere, diarrhaea ſupra dicta eſſe correptos. Fateor me primo hallucinaſſe: putavi enim ineptum fore, tam debilibus catharticum adminiſtrare; atque idcirco donec validiores facti, ut catharticum ſuſtinere poterint, expectabam. Alii plane catharticum recuſavere, dicentes ſibi vires evacuationi deeſſe. Hiſce omnibus diarrhaea longa, excrucians, fatalis accidit. Qui vero cathartico tempeſtive utebantur, ea liberati ſunt; quamquam alii febre intermittente, alii hectica, omnes atrophia ſunt afflicti. Tentata quoque fuere balnea, exercitia, quae plus boni attulerunt.

Prophylaxis, ſi ullo morbo, hoc certe idonea. Nam praediſponens cauſa evidens eſt, atque manifeſtos effectus producit. Perutilia igitur videntur diluentia aquoſa, atque attenuantia, una cum motu moderato, corroborante, et victu euchymo, ſaepe, moderata quantitate, iterato. Vitandus labor nimius, praeſertim ſole prope meridiem exiſtente. Subacida magnopere conveniunt. Sed ſi cauſa haec effectus ſenſibus obvios edere incipit; doſin emeticam adminiſtrare prodeſt, et ad praecordiorum vaſa concutienda, ne obſtructiones in

iiſdem

iiſdem fiant, aut ſegnius moventes humores ad naturam hanc, quam nomine *atram bilem* deſignavimus, accedant, et ad diapnoen promovendam. Poſtea, utile erit alvum ſubacidis leniter ducere aliquoties, donec ſigna morbi evanuerint. Hoc modo multi ſanati.

EQUIDEM, hac in parte mundi, vivendi methodo ſtudere perquam eſt neceſſarium. Hoc docent acuti morbi, inſtabilitas vitae. Sed extraneum foret huic diſſertatiunculae, methodo huic inſiſtere. Sufficiant hoc tempore dicta. Atque utinam medicis arrideant; quibus judicibus, ea verecundia qua decet, omnia haec ſubjicit

JOANNES WILSON.